

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo conversionis Pauli

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

sacrificemus per veram poenitentiam, Psal.

51. v. 19.

Per myrrhas adumbrata est crucifixio carnis, quam omnes Christiani commendatam sibi habeant, ne regnet peccatum in mortali eorum corpore, Rom. 6. v. 12. Sicut enim inter alia corpus Christi & myrrha inunctum est, ut innueretur, non visurum eum corruptionem, Psal. 16. v. 10. quod & Magos respexisse, veterum opinio est: ita & nos ad exemplum Christi, peccatis moriamur, iustitiae vivamus, 1. Petr. 2. v. 24. 2. Cor. 5. v. 17.

Si ita exemplo Magorum thesauros nostros aperuerimus, ipse quoque optimum suum thesaurum, caelum nobis aperiet, Deut. 28. v. 12. effusus benedictionem suam ad abundantiam, Mal. 3. v. 20. quin & suo tempore ex hac miseriarum valle, nos assumet ad se, in eum locum, ubi non est thesaurorum finis, Esa. 2. v. 9. sed vitam habeamus, & abundantius habeamus, Joh. 10. v. 11.

O Jesu! facias hoc propter nomen tuum! Amen.

## IN DIE FESTO CONVERSIONIS PAULI.

*Evangelium Matth. 19. v. 27. -- 30.*

### EXORDIUM.

**C**Um Regius Propheta David morti vicinus esset, praecepit filio Salomoni, sibi in Regno succedenti, ut filiis Berzellai, Galaaditis redderet gratiam, essentque comedentes in mensa ejus: occurrerunt enim mihi, inquit, quando fugiebam a facie Absolom fratris tui, 1. Reg. 2. v. 7.

Hanc historiam Evangelio praesenti applicabimus. Sicut enim Berzellai fides, quam Davidi, tempore persecutionis suae praestitit, non sine remuneratione relicta fuit, dum eum ultra Jordanem secutus, cum e persecutione degeneris filij liberatus in Regnum restitueretur, ut constat, ex 2. Sam. 19. v. 31. seqq. sed hoc ipso consequeretur, ut filii ejus cum Salomone su-

per mensa cibum caperent: Ita & Christi discipulis omnibusque sectatoribus Jesu, affatim imò centuplum remunerabitur, quod propter eum fecerunt vel passi sunt, ut praelecta Pericope probat. Quia enim Christi discipuli omnia reliquerunt, seque secuti sunt, ubi a filio degeneris Absolone, h. e. ab Ecclesia Judaica, non receptus est, Joh. 1. v. 11. & corporaliter & spiritualiter eos sustentatum iri pollicetur, ut non destituantur omni bono, Psalm. 34. v. 11.

Quod propter Christum non dilexerint animas suas usque ad mortem, sed ut constantes confessores illas sponte profuderint, Apoc. 12. v. 11. consecuturos esse vitam aeternam, ubi abundantia

gau-

gaudiorum cum vultu Dei, & delectationes in dextera ejus, usque in æternum, Plal. 16. v. ult. Ut Servator in præfenti Evangelio dilucidè promittit.

Nos Instituti nostri memores, videbimus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Electum illud Dei Organon Paulus, Actor. 9. v. 15. de cujus conversione hodierno die in Ecclesia prædicatur, cum justitiam suam in lege commendasset, eamq; jaſtantia hypocriticæ ex lege justificandorum opposuisset, ita tandem concludit: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi, Domini mei: propter quem omnia pro damnis duxi, & arbitror ut stercorea, ut Christum lucrifaciam, Phil. 3. v. 6. seqq.

Ex adverso verò Petrus in prælectâ Pericope bona sua, quæ reliquerat, & Christum secutus fuerat, majoris æstimat, quam scientiam Jesu Christi, quâ ex causa etiam peculiarem remunerationem exposcit, dum sua & contribulum suorum merita valdè exaggerat: cum tamen illa respectu Christi, ut stercoreus, imò ut umbram facere debuisset.

Querela respicit

I. Meriti Petrini jaſtationem, de quo ait: Ecce, nos reliquimus omnia & secuti

sumus te: quid ergò erit nobis? Paulus aliàs inculcat: Quodcunque facitis, omnia in gloriam Dei facite, 1. Cor. 10. v. 31. hic verò Petrus plus seipsum respicit, quàm Christi nomen & gloriam. Et idem evenit omnibus illis, qui in operibus justificari & salvari volunt, ut deindè jaſtantius sese ferant, ut exemplum Pharisaici juvenis Evangelium nostrum præcedens, testatur.

Pari ratione & Pharisæus cum Publicano templum adscendens, propter meritum suum planè turgidus erat, hinc precabatur: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum &c. Luc. 18. v. 11. 12.

Qui ita cum operibus suis superbit, iniquus: Ego sum, & extra me non est alius amplius, Zeph. 2. v. ult. is speciem idololatriæ committit, ubi homo à Deo se avertit, & sua ipsius dona & merita, ut simia catulos suos lambit & osculatur, imò fiduciam suam in illis ponit, & ita seipsum Deastrum constituit.

Paulus hoc ipsum probè agnovit, hinc ait: Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Cor. 3. v. 5. eccur igitur merita nostra jaſtabimus, qui ne quidem cogitare aliquid ex nobis possumus? Nunquid gloriabitur securis, contra eum qui secat in eâ? aut exaltabitur ferra contra eum, à quo trahitur? Esa. 10. v. 15. sic nemo quoque in operibus & probitate sua gloriari poterit. Quodcunque enim boni operatur, id Deus per eum efficit, cui propterea omnis gloria debetur. Dicamus igitur cum Davide: Non nobis Domine, non nobis, sed nominituoda gloriam, Plal. 115. v. 1. Omnia enim  
d d d d opera

opera nostra operatus es nobis, Esa. 26. v. 12. hinc Paulus: Gratia Dei sum, quod sum, 1. Cor. 15. v. 10.

II. *Premii postulationem*, sic enim Petrus: Ecce! nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?

Petrus hic mercedem suam postulat, non secus ac mercenarius, qui jure & ex pacto laboris mercedem flagitat: ubi tamen magnum discrimen subest, siquidem in Regno Dei non propter mercedem, sed propter debitum laborare tenemur, Luc. 17. v. 10.

Ad bona opera faciendâ obstricti sumus, quia ad ea creati sumus, Eph. 2. v. 10. ad ea redempti, Rom. 6. v. 4. & in id sanctificati in baptismo, ut induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate, Eph. 4. v. 24. sed propterea non obligatus nobis est Deus, neque in hoc, neque in altero seculo.

Legimus quidem Matth. 20. v. 2. quod Paterfamilias conventionem fecerit cum operariis, quos in vineam conduxerat, ex denario diurno: sed in parabola ipsa dilucidè nobis ostenditur, non mercedem strictè & propriè dictam, sed gratiæ denarium fuisse, quem novissimi æque acceperunt ac priores.

Ah Dilecti! cur quæso mercedem pro operibus nostris efflagitemus, cum Petro dicentes: Quid erit nobis? Intueamur modò

1. *Constatam miserabilitatem*, quæ renatos quoque, bonum facere studentes, Rom. 7. v. 21. adeò depravavit, ut totum caput langueat, & totum cor ægrotet, & à planta pedis usque ad verticem non sit

in eis integrum quiddam, Esa. 1. v. 5. quid ægrotus ejusmodi laborabit, quam mercedem postulabit, qui tamen miser est, & miserabilis, Apoc. 2. v. 17.

2. *Summam paupertatem*. Omnes enim egemus gloria Dei, Rom. 3. v. 23. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Cor. 4. v. 7. Quicumque igitur bona operatur, non ex seipso id facit, sed gratia Dei id facit, quæ in eo est, 1. Cor. 15. v. 10. adeoque nullam mercedem exigere potest, pro eo, quod ipse non effecit.

In Papatu non tam gratiâ Dei, quam meritis suis Regnum cælorum se consecuturos esse putant, sicut Monachus Argentoratensis confidenter in agone dixit: Redde mihi, Domine Deus, quam ego tot annis meritus sum, & tu mihi debes, vitam æternam. Sic & Lucius, Jesuita quidam, scribit: Non possumus damnari, nam si ter vamus nostras regulas, Deus justus est, & non potest non nobis illarum dare mercedem, quæ est vita æterna.

Sed perpendant illi, quod Paulus ait: Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis, Gal. 5. v. 4. quod & de regulis Monachorum multò æquius dici potest, quæ ut plurimum traditiones humanæ sunt, quibus frustra Deus colitur.

Equidem Deus justus est, & largitur nobis promissam mercedem, sed non propter meritum nostrum, sed propter promissum, pietas enim habet promissionem hujus & futuræ vitæ, 1. Tim. 4. v. 8. quod si igitur ex promissione metces, non ex merito erit, Gal. 3. v. 18. Vita quippè æterna, quam Pontificii ut mercedem postulant, est *χάρισμα Θεοῦ*, Rom. 6. v. 23.

Caro-

Carolus V. Imperator, quantumvis in Ecclesiâ Papisticâ natus & educatus, morti vicinus non in meritis suis, sed in Christi merito solatium quæsit. Toto quippe pectore in Deum revolutus, sic rationabatur, se quidem indignum esse, qui propriis meritis Regnum cœlorum obtineret, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & patris hæreditate, & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cujus dono illud sibi merito vendicer.

Hoc piorum solatium est: Unde pius quidam Theologus ait: Verè piorum est, non de præmio, sed de suo officio sollicitos esse. Interdè Deus ipse merces eorum magna futurus est, Gen. 15. v. 1. imò merces eorum copiosa erit in cœlis, Matth. 5. v. 12.

III. De premio dubitationem. Quid ergò erit nobis? ait Petrus, quasi Christus remunerare non posset, vel oblivioni traditurus esset?

Procul dubio Petrus ad animum revocavit sibi, magnum illum contemptum, quo Christus ab omnibus affectus est: inspexit magnam pauperiem, ubi non habuit, quò caput suum reclinaret, Matth. 8. v. 20. hinc dubitare cœpit, utrùm rectè fecerit, quod Christum secutus fuerit?

Simili dubitatione laboravit Abraham: quamvis ipsi Deus promissionem insignem fecerat, nihilominus ait: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ: mihi autem non dedisti semen, Gen. 15. v. 2. seqq. c. 12. v. 3.

Sic hodiè tenus pii quandoque ambigunt de remuneratione pietatis, quando felicitatem impiorum cernunt, ut dicant:

Ergò sine causa mandavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, Psal. 73. v. 13. abolita est promissio in omnem posteritatem? Psal. 77. v. 9.

Verùm consolantes vos invicem, ô Optimi! dicite: Attendit Dominus, & audivit, & scriptus est liber monumenti coràm eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus, Mal. 3. v. 16. Veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Psal. 37. v. 4. seqq. Sir. 2. v. 11. 12. Luc. 1. v. 73.

Hinc Ecclesia:

Quæcunque maximus Deus  
Promisit in verbo bonus,  
Jurans suum per nomen:  
Id certius certò fiet,  
Qui nos ut Angelos beet  
Per Christum Jesum, Amen!

De Secundo.

SEquitur Medela, quæ fluit  
I. Ex gloriosa credentium dignitate, quæ  
1. Specialis, solos Apostolos concernens:  
Amen dico vobis, quod sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel. Hic gemina gloria Apostolis promittitur,

1. Gloriosa sessio. Ubi per sessionem peculiaris præ eminentia significatur, quâ Apostoli præ aliis habebunt. Non tamè ita hoc capiendum, quasi Apostoli cum Christo in eodem throno sessuri sint, quo ille ad dexteram Dei sedebit. Si enim nulli Angelorum dictum: sede à dextris meis, quomodo homini illud conveniet? Ebr. 1. v. 13. Rectè huc applices: Gloriam meam alteri non dabo, Esa. 41. v. 8. interea tamen sedes gloriosas habebunt, ad sessorum Christi in judicio universali futuri.

ddd d 2

Magnâ

Magnâ hinc illi gloriâ ornabuntur. Antè spectaculum mundo & Angelis & hominibus erant, imò omnium peripsima, 1. Cor. 4. v. 9. 12. quolibet dicente illis: sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum, Jac. 2. v. 3. at in regeneratione, ubi omnia renovabuntur, ibi primum locum tenebunt, Domino dicente ad illos: Tu, sede hic benè, Jac. 2. v. 3.

Fideles verbi ministri & ipsi sedes gloriosas habebunt, in quibus sedebunt in requie securitatis, Esa. 32. v. 18. inimici verò eorum de sedibus suis deturbabuntur, & in barathrum infernale præcipitabuntur, ubi non sedebunt, sed positi erunt sicut oves, morte depascente eos, Psalm. 49. v. 15.

2. *Mundi judicatio.* Judicabit enim duodecim Tribus Israel, ait Servator. Hoc judicium exercebunt Apostoli in duodecim Tribus Israel, qui repulerunt à se Regnum Dei, & seipfos indignos judicaverunt, æterna vita, Act. 13. v. 46.

1. *Doctrina sono,* quam omni creaturæ prædicaverunt, Marc. 16. v. 20. juxta hanc enim omnes gentes judicabuntur, teste Paulo, Rom. 2. v. 16. & Christo, Joh. 12. v. 48.

2. *Suo testimonio.* Quando enim excusaturæ se sunt gentes, quod ignoraverint, quid credendum & faciendum fuerit, Paulus surget, dicturus: Contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minus annunciarer omne consilium Dei vobis, Act. 20. v. 27. Johannes surget, inquit: Digito Messiam tibi ostendi: Ecce Agnus Dei, Joh. 1. v. 29. quod ita omnes reliqui Apostoli facturi sunt.

3. *Proprio exemplo,* quod ipsi velut parvuli, Matth. 11. v. 25. insipientes, 1. Cor. 1. v. 27. Evangelium Christi susceperint, ubi contrâ sapientes & prudentes ipseverint consilium Dei adversus seipfos, Luc. 7. v. 30.

Hoc judicium nobis quoque restat, nam & nos Israel Dei sumus, Gal. 6. v. 16. ideò nos quoque sequamur hanc regulam, ut & super nos pax & misericordia sit. l. c.

2. *Generalis.* Sic enim porrò Servator: Et omnis, qui reliquerit domos, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Promissiones & beneficia Dei ejusmodi sunt, ut omnes homines concernant ex parte Dei, cujuscunque sint loci & ordinis, distincti tamen gloriæ graduserunt, ut Paulus explicat, 1. Cor. 15. v. 41. intereà cujuslibet anima exultabit ad Deum viventem, Psalm. 84. v. 3.

Nostrum erit, ut contendamus ad ea, Luc. 13. v. 24. persequentes scopum, ad bravium supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu, Phil. 3. v. 14.

II. *Ex retributionis copiositate.* Centuplum enim, ait Christus, accipiet. Nos homines ita comparati sumus, ut non facile quicquam faciamus, nisi coactione, vel commodo incitati. Atqui Deus externa vi compellere nos minimè vult. Quia vero populos diligit, Deut. 33. v. 3. & omnes salvari vult, 1. Tim. 2. v. 4. promissionibus suis nos invitare amat, hinc David: Judicia Domini vera, justa omnino, in custodiendis illis retributio magna, Psalm. 19. v. 10. 12.

Hæc

Hæc retributio copiofa nos quoque ftimulet, ut facultates noftras terrenas promtè relinquamus, quia certa & in veritate eft, Pfal. 33. v. 4. Idipfum exempla probant.

Abraham egrediebatur de terra fua, & de cognatione fua, & de domo Patris fui, Gen. 12. v. 1. centuplum id ei Deus compenfauit. Erat enim dives valdè, in poffeffione pecoris, auri & argenti, Genef. 13. v. 2. erat Pater multarum gentium, cap. 17. v. 5.

Apoftoli quoque centuplum recuperant, quod propter Chriflum reliquerunt. Omnes fideliũ domus ipsis patebant, & illis hofpitiũ præbebant; & quotquot poffeffiones agrorum, aut domorum erant, vendentes adferebant, pretia eorum quæ vendebant, & ponebant antè pedes Apoftolorum, Act. 4. v. 34. Qui patrem aut matrem, paucos fratres & forores reliquerat, ex Apoftolis, centum ex aduerfo inueniebat, qui patris & matris, fratrum & fororum caritatem ipsis exhibebant, ut Acta Apoftolorum fufficienter teftantur, ita ut Paulus feribat: effe fe, tanquam nihil habentes, & omnia poffidentes, 2. Cor. 6. v. 10. Quod fi verò interdum in hoc mundo retributio non fequitur: Exultate, quoniam copiofa erit merces veftra in cælo, Matth. 5. v. 12.

III. Ex vita æterna hereditate. Quia enim pii hinc audiunt, poffeffuros fe vitam æternam, folatium hoc inde fluit, quod de vitâ æterna certi effe poffint, quod fieri non poffet, fi per opera noftra imperfecta, & peccatis inquinata ea promerenda effet. Quod contrâ Pontificios notandum. Vox enim κληρονομία, omne meritum,

quod in operibus quæritur, infringit, Quod fi enim vita æterna hereditas eft, per opera eam promereri minus poffumus, ficuti liberos hereditatem fuam non promereri cernimus, fed ratione filiationis ipsis debetur, nec minus natu minimo in cunis adhuc vagienti, qui patri nondum infervivit, quàm maximo, qui feruitiis utilibus patris favorem demeritus eft. Sic & nobis vita æterna promiffa eft, non ratione meritorum, fed unice ex gratia, quia Deus in baptifmo nos in filios adoptavit, Joh. 1. v. 12. Si autem filii, & hæredes fumus: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chrifti, Rom. 8. v. 17.

Hanc hereditatem nemo nobis eripere valebit, ut impia Jefebel, Nabotho innocuo vineam fuam eripuit, 1. Reg. 21. v. 15. affervatur enim in cælis, Deus habet eam in manibus fuis, ex illis neque Diabolus, neque fatellites ejus eandem rapere poterunt, Joh. 10. v. 28.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus abfolvitur Regulis, ut funt

I. *Omnia propter Chriflum relinque.* Hoc non ita intelligendum, quafi propter Chriftum fpontanea paupertas vovenda & eligenda effet, ut Monachorum in Papatu mofeft. Sed fi optio tibi permitteretur, ut aut fidem Chrifianam abnegares, aut facultates tuas defereres, potius omnia relinquere, quàm Chriftum ejurare, æquum erit, fi genuinus Chrifti difcipulus effe velis.

Alioqui Deus & natura eò nos obligant, ut quæ noftra funt, uxorem, filios, pa-

dddd ; trem

rem, matrem, fratres, sorores & ejusmodi, non relinquamus, sed potius conserve-  
mus, ut habeamus, unde tribuamus neces-  
sitate patienti, Ephel. 4. v. 24. & qui do-  
mesticos suos deserit, (extrâ hunc casum,)   
deterior infideli est, & fidem negavit,  
1. Tim. 5. v. 8.

Præterea divitiis valere, & Christi di-  
scipulum esse non sibi adversantur, modò  
divitiis cor non apponatur, Psal. 62. v. 11. ut  
Josephi Arimathæi exemplum probat,  
Matth. 27. v. 57.

Qui verò persecutionis tempore, amat  
patrem aut matrem plus, quàm me, non  
est me dignus, & qui me negaverit coràm  
hominibus, ut divitias & honorem coràm  
mundo conservet, negabo & ego eum, co-  
ràm Patre meo, qui in cœlis est, Matth. 10.  
v. 33. 37.

Satius quippè est, terrena propter Re-  
gnum Dei amittere, quàm terrenorum  
amore æterna perdere. Quid enim prod-  
est homini, si universum mundum lucretur,  
animæ verò suæ detrimentum patiatur,  
Matth. 16. v. 26. 27. Declinantes  
enim in curvas vias, abducet Dominus,  
cum operantibus iniquitatem, Psal. 125.  
v. 5. qui verò fideles erunt usque ad mor-  
tem, accipient coronam vitæ, Apoc. 2.  
v. 10.

II. *Παλιγγενσίαν perpende.* Hic non  
intelligitur regeneratio, quæ fit in bap-  
tismo, ex aquâ & Spiritu, Joh. 3. v. 3. sed in-  
telligitur hîc regeneratio & renovatio  
omnium creaturarum, quæ novissimo die  
fiet, quando corruptibile hoc induet in-  
corruptionem, & mortale hoc induet im-  
mortalitatem, 1. Cor. 15. v. 53.

Eò anhelemus, expectantes redemptio-

nem corporis nostri, Rom. 8. v. 23. Sicut  
Paulus *παλιγγενσίαν* hanc desideranter  
exoptavit, Phil. 1. v. 23. & Elias, 1. Reg. 19.  
v. 4. exploratum enim sibi habebant, quod  
per regenerationem hanc ad cœlos novos  
& terram novam perventuri essent, in qui-  
bus justitia habitat, 2. Petr. 3. v. 13. hoc ipso  
Jobus quoque se confirmabat in ærumnis,  
quod tempore universalis hujus regenera-  
tionis Deum oculis suis visurus esset, Job.  
19. v. 17.

Quilibet cum Davide precetur: Sitivit  
anima mea ad Deum vivum, Psal. 42. v. 3.  
& ille aliquando renovabit te, ut fit sicut  
aquilæ juvenis tua, Psal. 103. v. 5. Esa. 40.  
v. 31.

III. *Ex primo ultimus fias, cave.* In præ-  
cedentibus Evangelii verbis, Christus ad  
adolescens divitem dixerat, quod si  
omnia venderet, quæ haberet, & daret pau-  
peribus, seque sequeretur, habiturum eum  
thesaurum in cœlo. Petrus hoc audiens,  
continuò subsumit: Ego & Collegæ mei  
omnia reliquimus, & te secuti sumus, idèd  
nobis opulentus thesaurus in cœlo debe-  
tur, isque præ aliis. Hic respondet Chri-  
stus: Multi erunt primi novissimi, & no-  
vissimi primi, q. d. Servator: Mi Petre,  
sequutus quidem me es cum Collegis tuis,  
sed vide, ut ad finem usque perseveres, fieri  
enim potest, ut aliqui per apostasiam ultimi  
fiant, sicut & illis qui in stadio currunt ac-  
cidere potest, ut retrò maneat, alio ipsi  
bravium præcipiente, ut Paulus hoc simili  
utitur, 1. Cor. 9. v. 24.

Sic Judas Ischariotes è primo ultimus  
factus est, dum avaritia cor ejus replevit,  
& ita in interitum demersus est, 1. Timoth.  
6. v. 9.

Pau-

Paulus verò ex ultimo primus factus, abundantius enim reliquis Apostolis omnibus laboravit, 1. Cor. 15. v. 10.

Judæis primùm oportebat loqui verbum Dei, deindè gentilibus; sed quoniam illi repellebant illud, & indignos se judicabant æterna vita, ultimi illi facti sunt, & exclusi à communione Sanctorum: Ethnici verò glorificabant verbum Domini, & crediderunt, atque ita primi facti sunt, Act. 13. v. 46. seqq.

Typus hujus rei nobis propositus in Jacobo & Esavo. Hic jus primogenituræ Jacobo vendidit pro edulio lentis, & ita

ex primo ultimus evasit, Gen. 25. v. 31. seqq. sicut & Jacobus benedictionem à Patre reportavit, Gen. 27. v. 36.

Adhuc hodiè multi pro edulio lentis jus primogenituræ vendunt, h. e. pro concupiscentia oculorum, concupiscentiâ carnis & superbia vitæ, 1. Joh. 2. v. 16. & ita ultimi fient inter hædos consistentes, Matth. 25. v. 33.

Caveamus, ne & nos gratiam Dei negligamus, sed ad finem usque perseveremus, Matth. 10. v. 22. Quod Deus nos adjuvet, per Christum, Amen.

## IN FESTO DIE PURIFICATIONIS MARIÆ.

*Evangelium Luc. 2. v. 22. -- 32.*

### EXORDIUM.

**I**N V. T. Israelitæ agnos anniculos immaculatos, duos quotidie in holocaustum sempiternum offerre jussi sunt, unum manè & alterum ad vesperum, Num. 28. v. 3. 4.

Hoc mysticè intelligendum,

1. *Respectu nostri*, & eò præcipuè collineat, ut diem non modò cum Deo ordiamur, sed & cum Deo finiamus, si illud, quod gerimus, prosperè & ex voto succedere debeat. Cor enim hominis disponit viam suam, sed Domini est, dirigere gressus ejus, Prov. 16. v. 9.

2. *Respectu proximi*. De victimis Sacerdotes partem suam habebant, nempe ar-

mum, utramque maxillam, & ventriculum, Deut. 18. v. 3. 4.

Ira Deus mandavit Israelitis, ut manè & vespeti holocaustum offerrent, quò Sacerdotes ali & sustentari possent. Hinc hoc morale fluit, quod quotidie de facultatibus nostris quicquam ad conservandum Dei cultum, & sustentanda pauperiora Christi membra, erogare teneamur, juxta illud: Honora Dominum de substantiâ tua, & de primitiis, omnium frugum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt, Prov. 3. v. 9. 10.

3. *Respectu Christi*. Ipse quippè est agnus ille immaculatus, qui manè h. e. in tene-